



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum ad separationem matrimonij contracti inter affines &
consanguineos, procedi debeat per testes? 11

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

suspectus, est procul dubio repellendus, nisi proprio firmaverit iuramento, quod postea didicerit ea quæ obiecerit, & ad hoc ex malitia non procedat.

ARTIC. XI.

Virum ad separationem matrimonij contracti inter affines & consanguineos, procedi debeat per testes?

Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod in tali causa non sit procedendum per testes, sicut in alijs causis. Quia in alijs causis adducuntur ad testificandum, quicumque sunt omni exceptione maiores. Sed hic non admittuntur extranei, quamvis sint omni exceptione maiores. Ergo, &c.

¶ 2 Præterea, Testes suspecti de privato odio, vel amore à testimonio repelluntur. Sed maxime cessant propinqui esse suspecti de amore respectu partis, & odio ad partem alteram. Ergo non est audiendum eorum testimonium.

¶ 3 Præterea, Matrimonium est favorabilius, quam alia causa, in quibus de rebus pure corporalius agitur. Sed in illis non potest idem esse testis & accusator. Ergo nec in matrimonio: & ita videtur, quod non conveniatur in causa ista per testes procedatur.

SED contra, Testes inducuntur in causis, ut superius de quibus dubitatur, fiat iudici fides. Sed ita facienda est iudici fides in causa ista, sicut in alijs causis, quia non debet præcipitare sententiam de eo quod non constat. Ergo procedendum est hic ex testibus, sicut & in alijs causis.

RESPONDEO dicendum, quod in hac causa oportet quod per testes veritas pateat, sicut & in alijs. Item, ut iurista dicunt, in hac causa multa specialia veniunt, scilicet, quod idem potest esse accusator & testis, & quod non iuratur de calumnia, cum sit causa quasi spiritualis; & quod consanguinei admittuntur ad testificandum; & quod non observatur omnino ordo

230
c. præterea c. cū in tua extra de spō salibus lib. 7. c. de eo, qui cognovit consanguine uxoris sue.

ordo iudiciarius : quia tali denuntiatione facta, contumax potest excommunicari lite non contestata : & valet hoc testimonium de auditu, & post publicationem testium testes possunt induci. Et hoc torum est, ut peccatum impediatur, quod in tali conuisione esse potest.

Et per hoc patet solutio Ad obiecta.

QVÆST. LVI.

De impedimento cognationis spiritualis, in quinque articulos diuisa.

DEinde considerandum est de impedimento cognationis spiritualis.

¶ Circa quod queruntur quinque.

¶ Primo, utrum spiritualis cognatio matrimonium impediatur?

¶ Secundo, ex qua causa contrahatur.

¶ Tertio, inter quos.

¶ Quarto, utrum transeat à viro in uxorem?

¶ Quinto, utrum transeat ad filios carnales patris?

ARTIC. I.

Utrum spiritualis cognatio matrimonium impediatur.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod spiritualis cognatio matrimonium non impediatur.

Tho. 4 d. 42. q. 1. a. Nihil enim impedit matrimonium, nisi quod contrariatur alicui bono matrimonij. Sed spiritualis cognatio non contrariatur alicui bono matrimonij.

2. c. seq. Cōc. Tri. sess. 24 de resor. ma. 2. 1. 1. c. 2. Ergo non impedit matrimonium.

¶ 2. Præterea, Perpetuum impedimentum matrimonij non potest stare simul cum matrimonio. Sed cognatio spiritualis stat simul aliquando cum matrimonio, ut in littera dicitur: sicut cum aliquis in casu necessitatis filium suum baptizat, quia tunc sit uxori suæ spirituali cognatione coniunctus: nec tamen matrimonium separatur. Ergo spiritualis cognatio matrimonium non impedit.

¶ 3. Præterea, Unio spiritus non transit in carnem. Sed matrimonium est carnalis coniunctio. Ergo cum cognatio spiritualis sit unio spiritus, non potest